C.R. BIBLIOTHECA UNIVERSITATIS JAGELLONICAE CRACOVIENSIS
17187
kat. komp.
I Mag. St. Dr. P

...th.

Schonei Andr. Fax nuptialis ad Illustrissimos Novos Coniuges.

PANEG. et VITAE
Polon. 4°
№ 1016.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0002972

FAX NVPTIALIS

AD ILLVSTRISSIMOS
NOVOS CONIVGES,

GABRIELEM COMITEM IN
Tenczin, Gladiferum Regni Poloniæ:
ET ELISABETH RADIVILAM,
Ducem in Olicą & Niesuis.

Andreæ Schonei S. Theologiæ in Academia Cracouiensi Professoris.



CRACOVIÆ,
In Officina LAZARI, Anno Domini
1 6 0 3.

BIBLIOTH. UNIV. JAGELLONICAE
17187 I

FAX NVPTIALIS

Ad Illuſtriſsimos nouos Coniuges

GABRIELEM COMITEM IN TENCZIN,
Gladiferum Regni Poloniæ:

ET ELISABETH RADIVILAM,
Ducißam in Olica & Nieſuis.

ANDREAE SCHONEI S. T. D.

SI geminæ platani, ſimul alto vertice ſurgant,
Et patulas frondes, vmbroſaque brachia iungant;
Quæ tum deliciæ charis capiuntur ocellis?
Quæ noua ſuſpenſam pertentant gaudia mentem?
Illas prætereat ſi imprudens fortè viator,
Genua labant licèt, & premat acer anhelitus artus;
Ociùs ille redit ſua per veſtigia paſsu
Deproperante, decus ſiluæ, frondesq; comantes
Miratur, figitq; oculos, ardetque tuendo,
Nec viſum ſatiare poteſt, iuuat vſq; morari.
Si quando imbrifera denſantur nube tenebræ,
Auſter & immenſum cælo vehit agmen aquarum
Et tonitru tellus tremit, & micat ignibus æther,

Atq; indignantur validis ſtridoribus Euri:
Syrius aut ardens tellurem torret hiulcam,
Aret & omnis ager, flauæ moriuntur & herbæ;
Huc fugiunt Hominesq; feræq;, & tegmine opaco
Terrifici Iouis euitant iraſque minaſque,
Atq; ſoporiferas vmbras & frigora captant
Sic ſi magnanimæ ſtirpes, gentesq; potentes,
Seu per amicitiam, ſeu per connubia ſacra
Seſe amplectantur, dextraſq; & fœdera iungant;
Quàm pulcra eſt rerum facies, quàm cuncta renidēt
Lætitia, Patriæ quæ ſpes & commoda ſurgunt?
Non iam ſeditioſa manus, mutabile vulgus
Motibus inſanis agitabit, vt Africus aſper
Pleiadum turbante choro, tumida æquora vexat,
Concilium & regni iuſta ratione coactum
Infectum reddet, diffinget & omnia demens:
Non acuent ferrum ciues, enſeſq; recuſos
In ſe diffigent, cognataque viſcera rumpent:
Non auro vendent patriam, non hoſtibus ipſis
Mænia ſemiruta oſtendent, portaſq; reuellent.
Magnanimo generoſa ſatu procurret in arma,
Militiamq; acrem, frigusque famemq; Iuuentus
Durabit, charum caput obiectare periclis
Prodiga, purpureo & cum ſanguine fundere vitam.
In caſtris inter lituoſque & prælia honeſti
Vſq; tenax, conſtans iuſtique æquiq; ſatelles.

Non

Non populari agros, non rapto viuere ſueta,
Non fœda ingluuie & luxu rem perdere; verùm
Fortuitis menſis gaudere, epuliſq; paratis,
Terreſtres cænas agitare, & ſanguine caſſas.
Quin & Relligio, populos quæ ſeruat & vrbes,
Exeret auricomos vultus, turritaq; templa
Eriget, & ſtatuet magnis cum cenſibus aras.
Hæreſis atra petet latebras, intraq; cauernas
Sibila rauca dabit, vana rumpetur & ira,
Aut abiurabit fraudes pellacis Auerni.
Vos quoq; puræ animæ, quæ pulpita docta ſcholarũ
Ingenij magnis fulcitis viribus, atque
Artibus excolitis, miti & pietate iuuentam,
Victrices lauros, & præmia iuſta feretis,
Pro cura vigili, grauibusq; laboribus actis;
Durate interea, nec duræ cedite ſorti
Ingentesq; animos geſtate in paupere cenſu,
Durate, & voſmet magnis ſeruate patronis.
Neſcio quos videor mihi cernere Mœcenates,
Et bona fortunæ rota vertier incipit ad vos,
Atque inter Litauûm proceres nõ clarior vlla eſt
Stirps Radiuilidûm, tot auos, atauoſq; potentes
Enumerat, ſtanteſq; in curribus Æmilianos,
Qui defenſarunt patriam felicibus armis,
Hoſtileſq; minas fregerunt fortibus auſis.
Senſerunt toties Moſciq; Scythæq; gementes,

Quid queat illorum virtus, animoſaq́; dextra.
Iunxerunt Lithauos æterno fædere Lechis,
Sarmatiæ & duplici firmarunt robore vires.
Clarorum ergò Ducum prælustria nomina adepti,
Et Regum affines æterna laude canentur.
Ipſos Roma etiam Fidei ſuprema poteſtas,
Relligionis apex, Petri indubitataq; ſedes,
Sacro purpurei decorauit honore Senatus.
Quo vos Tencinij Eloquio, quo Carmine dicam,
Antiquum germen, plenum & virtutibus amplis?
Quorum maiores Lechi comites ſocijq́;,
Nunc latè armiſonis legionibus imperitarunt,
Exercere boni fera munera militiai,
Nunc ſtabiliuerunt pacem prudentia & æquo,
Sarmaticum cælum portantes viribus altis.
Si quando in lato populo furioſa coorta eſt
Seditio, atq; animis ſæuitum eſt acribus; vltrò
Læti affulſerunt ſemper, patriæq́; ſalutem
Dulçeque ſolamen cum libertate tulerunt:
Illorum & nutu cecidit fragor omnis & ira.
Si quando patriam vrgerent inimitia fata,
Et circumſtarent hinc inde periculi & hoſtes,
Voce ſalutiferæ Starzæ Generoſa iuuentus
Martem accendebat, ſe & fortia in arma ciebat.
Ipſe SIGISMVNDVS primus REX optimus olim
Iam moriens, claudenſq́; ſuprema lumina nocte,
Vocibus

Vocibus extremis Radiuilos Tenciniosq́;
Augusto nato memori laudauit honore,
Illius & curæ, patrocinioq́; reliquit.
Quare lætitiæ plausus iuuat edere, festis
Et foliis vestire ædes, aulæaq́; picta
Figere parietibus, thurisq́; accendere odores.
TENCINIVS GABRIEL, quo non pręstantior inter
Florentes iuuenes, forma, pietate, satuq́;
Ante annos animumq́; gerens, sensusq́; seniles,
Cuius ab ore fluunt mera mella meriq́; lepores,
Tullij ad Eloquium natura factus & arte,
Connubio iungit stabili sociam sibi vitæ
ELIZABET RADIVILAM illustri sanguine cretam,
Qua non fæmineos inter prestantior vlla
Coetus, stirpe, decore oris, pietate, pudore,
Naturam superat teneram virtutibus amplis,
Atq; virilem animum muliebri in corpore versat.
Nata bono genitore, oras qui Sarmaticæ Arcti,
Instruit innocua vita, pietateq́; rara.
Immensasq́; effundit opes, censusq́; opulentos,
Munificis dextris in templa scholasq́; inopesq́;
Vidit Idumæas, emensus tot freta, terras
Atque Palęstinum veneratus puluerem, & ore
Pronus adorauit vestigia sancta Salutis.
Vidit Bethlemium vicum, Dei vbi Enthea proles,
Humanos induta artus, has luminis auras,

In vili ſtipula, tremulis vagitibus hauſit.
Nazaret & vidit Domini nutriculam amicam,
Iordaniſq; ſacros auido bibit ore liquores.
Illud & exciſum ſolida de rupe ſepulchrum,
Quo Chriſti exanimis iacuerunt frigida membra,
Planctibus impleuit, lachrymiſq; rigauit amaris.
Aſcenſu euaſit montis Thabor iuga celſa,
Chriſtus vbi totus mutato apparuit ore,
Titanisq; inſtar, diuina luce refulſit,
Sarmaticasq; niues candore anteiuit amictus.
Sic & Oliuiferi ſtetit alto in vertice montis,
Victor vbi noſter, ſpolijs ornatus opimis,
Angelicos inter plauſus, ſtipante caterua
Immenſa patrum, ſuperas remeauit ad arces.
Vidit & horrendas Solymæ infelicis arenas,
Quas ſuper haud impunè queunt fundamina poni.
Multa mari & terra paſſus, tot adire labores,
Voluere tot caſus, pietas animoſa monebat.
Qualem progeniem fælici ſtirpe daturæ
Eſtis, ô illuſtres animæ, par nobile amantum?
Quæ patris ingenium referat, mentisq; vigorem,
Atq; pudicitiam matris notet ore oculiſq;
Perq; exempla patrum, veſtigiaq; alta atauorum,
Ad decus æternæ virtutis tendat anhelans.
Marte togaq; potens, nunc acres fortis in hoſtes
Irruat, & ſpolia ampla ferat, laudemq; perennem,
Nunc

Nunc pace in media Regem proceresq; fideli
Consilio iuuet, & curas & pondera Regni
Sustineat, Ciuesq; suos tueatur & ornet.
Fortibus atq; bonis similes nascuntur, & ardor
Et vigor ingenuus puro cum sanguine in artus
Cordaq; natorum manat, licèt improba proles,
Sæpe malis culpis fœdet bene nata prematq;.
Non generat timidum Damam Getula Leæna,
Armiger haudq; Iouis pauitanti corde columbam,
Trax & Arabs Sonipes, campis aut natus Iberis,
Quemq; fouet, multa exercetq; Neapolis arte;
Non edit pecus ignauum, mulumq; asinumq;
Aut iuga ducentem dura ceruice caballum;
Sed progignit equum, qui flammas naribus efflet
Mordeat & frænos, spumasq; agat ore cruento,
Stare loco nequeat, micet auribus & tremat artus,
Quem lituiq; tubæq; iuuent, belli & fragor ingens.
Sic Macedo ille potens, forti genitore creatus
Fregit opes Asiæ, Babilonia regnaq; cepit,
Fortibus atq; armis fuscos penetrauit ad Indos.
Sic & Scipiadæ gemini, maiorq; minorq;
Africa victa, quibus peperit memorabile nomen,
Impigris vexare hostes maioribus orti,
Alter inextincta prostrauit adorea atrocem
Hannibalem, tantis qui stragibus atq; ruinis
Italiam impleuit, tot funera damnaq; mouit:

Alter

Alter fœdifragæ toties Cartaginis arces
Diffidit, euertit, flammisq; vltricibus hausit,
Curuaq; disiectis muris impresśit aratra:
Tandē aliquando metu soluens corda alta Quiritū,
Et reduci somno demulcens membra Catonis.
Sicq; Palatini illius, qui sceptra tenebat
Sarmatiæ cum alijs, post funera Lechiadarum,
Sanguine Siecechus natus, quæ prælia victor
Edidit, & quantus consurgere suetus in hostem.
Cuius vos estis, post tempora longa, Nepotes,
TENCINII, illius de posteritate oriundi.
Quare felici vos numine inite hymenæos,
Coniugij & sacri fœdus venerabile fidis
Pectoribus, puroq; animo seruate fideq;.
Non mala suspicio mentes exasperet acres
Infestis odiis, non linguam in iurgia soluat
Exacuatq; graues iras discordia demens.
Absint compositæ fucato in pectore fraudes,
Insidiæq; doliq; atque artes mille nocendi.
Absit mæror edax, absint curæq; minaces,
Quæ tacito mentem corrodunt vulnere, & omnem
Visceribus succum exsorbent, membrisq; vigorem.
Nec vos pallentes morbi, queruliq; dolores
Tentent, non artus febris depascat anhela.
Luridus & pallor non occupet ora genasq;
Sed semper vigeat mens sana in corpore sano,
Corpo-

Corpore & in gemino mens vna ſit, vna voluntas.
Viuite florentes virtutibus, & ſine labe,
Exortes vitij q; omnis, procul atq; querela.
Naſcatur thalamo fæcundo maſcula proles,
In ſpem Tencinidûm, magnũ & patriæ incrementũ.
Naſcatur roſeis oculis labriſque puella,
In ſpem Connubij procerumq; Ducumq; potentũ.
Deniq; quodcunq; in mundo ſplendetq; hilaratq;
Quicquid & exoptant homines, mirantur amantq;,
Ominibus lætis, votiſq; fauentibus opto.
Siſte Thalia gradum, felicia verba profata:
Et pro coniugibus tacitè pia numina adora.

BIBLIOTH. UNIV. JAGELLONICAE

II F. 1. 7.